

S.F

CHRISTUS SACERDOS SEMEL SEIPSUM IN ARA CRUCIS DEO OBTULIT IN VERUM  
AC PROPRIUM SACRIFICIUM CRUENTUM, IDQUE PERFECTUM ET CONSUMMATUM AD  
REDEMPTIONEM NOSTRAM.

I. Ellacusia si.

Thesis loquitur ~~de~~ aliquomodo de Sacerdotio, et iam in recto de Redemptione et de Sacrificio. De Sacerdotio hic non agemus, nisi brevissime in qt. sacrificium est etiam actus cultus a Christo sacerdote peractus. De Redemptione etiam solum agemus in quantum habet intrinsecam relationem mutuam cum sacrificio crucis.

Sacrificium crucis, in qt. est mysterium redemptionis nostrae est obiectum praecipuum thesis nostrae. Ideoque de illo agemus; sed ad hoc ut vitemus considerationem mere empiricam aut phaenomenalem, et etiam considerationem mere formalem, antequam ad probacionem perveniamus, in aliqua consideratione profundiore sacrificii permanebimus. In ista considerationes his gressibus procedendum erit: 1) Consideratio sacrificii ex historia religionum desumpta. 2) Consideratio sacrificii ex philosophia religionis desumpta. 3) Conceptus generalis redemptionis, quia sine isto non possumus bene concipere 4) considerationem theologicam sacrificii, in concreto sacrificii crucis.

SACRIFICIUM IN HISTORIA RELIGIONUM:

Sat difficile est aliquam notionem adaequatam sacrificii acquirere ex historia religionum. Quae difficultas provenit ex ipsa historia.  
a) Imprimis necesse est habere aliquem conceptum praeivum sacrificii ad hoc ut possimus facta eligere, ex quibus ille conceptus exprimatur. Quia, quanquam in natura rerum ante quamcumque considerationem dantur facta inter se similia, quae correspondet ad ipsum motum internum et habent~~nt~~ similem realisationem externam, tamen ista facta non sunt univoca sed occupant aliquem ambitum gradualiter maxime diversum.

b) In re religiosa et sacrificali multae adsunt deviationes historicae reales, quae de facto obnubilant veram essentiam sacrificii.

c) In interpretatione factorum religiosorum tot sunt sententiae quot conceptus diversi habentur circa religionem ipsam. Ita omnino diverse interpretabantur ipsa facta Tylor aut Lo~~s~~ et Schmidt aut Lagrange.

Tamen haec possunt dici:  
a) in civilisationibus primitivis: Primum apparent sacrificia primitiarum. In iis offeruntur primitiae ~~xxx~~ fructuum naturalium; offeruntur enti Supremo ut agnoscat eius dominium circa omnes res et dependentiam propriam ante illum, ut etiam tale Ens Supremum sit illis favorable; in quantum est donum quod offertur alteri implicant quandam renuntiationem sui ipsius et suarum rerum. Hae ideae maxime apparent apud pastores nomadas, interquos sacrificium ad honorandum Deum caeli instituitur. In civilisatione parvae culturae horticolae introducitur usus magicus sanguinis; in stadiis totemisticis etiam sensus sacrificii debilitatur ex idea magiae, et relationis materialis cum Totem.

b) in civilisationibus secundariis et tertiaris, augetur cultus, instituuntur templa et sacerdotes. Introducitur sacrificium animalium et etiam hominum, utpote dona nobiliora ad hoc ut dii reddantur favorabiles vel placati:  
-in Babylonia et Assyria: offeruntur dona tq. manducatio deorum. Homines pendent a Deo, sed etiam dei pendent ab homine. Tamen ideae praedominantes sunt favorem Dei lucrari, peccata reparare, mala vitare. Etiam apparet quod victima possunt locum ferre hominis.

-Inter Arabes, non concipiatur sacrificium sine effusione sanguinis, ideo actus necessarius et praecipuus est immolatio, mactatio. Sicut sanguis ligat homines inter se, etiam divinitatem cum homine. Etiam apparet sanguis tq. reparatio peccatorum.

-Vedismus: Sacrificium accipit tales valorem supremum, ut sine illo neque Deus neque mundus subsistere possunt. In illo agnoscitur oblatio deis, sed etiam modus illos



S.J.

dominandi. Fere amittitur idea reverentiae Dei et augetur idea dominii circa deos et cursum naturae. Notandum est quod in budhismo, in mahometanismo, et in iudaismo contempraneo, etiam in multis formis protestantismi, ~~sacrificium~~ sacrificium saltem ut ritus externus disparuisset.

Explicatio istorum factorum: Concedendum est quod in cursu historiae multa facta sacrificalia explicantur ex motivis, quae non multum consonant cum idea religionis sensu altiori intellecta. Ita motiva contractualia: do ut des, do sacrificia ut des protectionem; vel motiva sustentationis deorum, quibus indigetur ad civitatem; vel motiva totemistica unionis per victimam cum totem. Sed talia motiva et tales explications non sunt ratio sufficiens factorum, neque in sua extensione neque in sua profundiore significatione. Non potest negari sensus religiosus qui est in origine et radice sacrificii etiam si multoties cooperatus aliis motivis; si tales explications essent adaequatae, sacrificia disparuis sent cum idea divinitatis purificata esset; continua apparent ideae dependentiae, summissionis, impetrationis, actionis gratiarum, verbo, totius vitae religiosae.

¶ Exigunt facta immolationem seu mactationem tq. aliquam partem esse sentiale et constitutivam sacrificii? Haec quaestio denuo tractabitur in consideratione philosophica sacrificii, sed ex datis historicis haec videntur dicenda: - quod per se praecipuum est in sacrificio est motus internus hominis ad Deum et non signa externa sicuti est mactatio.

- in signis externis propriis sacrificii mactatio non semper aderat praesens ~~sacrificium~~; in sacrificiis primitiarum non praevalebat idea destructionis sed oblationis et acceptationis dominii divini.

- in sacrificiis cum effusione sanguinis, immolatio magis apparet tq. conditio necesaria quam ut actus integralis, constitutivus sacrificii. Immolatio poterat fieri etiam a non sacerdotibus; non ita oblatio et combustio carnis.

- si sacrificium externum signum est interni momentum praecipuum non potest tribui destructionis sed sublimationi.

-tamen verum est quod sacrificia ut ita dicam totalia considerabantur tq. perfectiora et magis significativa: holocaustum.

#### SACRIFICIUM IN PHILOSOPHIA RELIGIONIS:

Ratio cur philosophia possit et debeat ati de sacrificio in eo stat quod sacrificium ontice et ethice necessario ligatur etm ~~sacrificium~~ natura humana ita ut ab illa possit sacrificium deduci sensu aprioristico classico, sensu transcendentali moderno et etiam sensu phaenomenologico existentiali. Sacrificium, hominum natura exigit, dicit Tridentinum Et S. Thomas: "Oblatio sacrificii pertinet ad ius naturale" 2,2,q.85,a.1c Quod non solum cognoscitur ex eo quod "in qualibet aetate, et apud quaslibet hominum nationes, semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio" sed ex eo quod ipsa natura in se considerata ad hoc tendat et hoc exigit.

Naturalis ratio dictat homini quod alicui superiori subdatur, propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adiuvari et dirigi. Et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus...Naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem ut ei quod est supra hominem subiectionem et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur ~~ad~~ exprimenda offerens eas Deo, in signum debitae subiectionis et honoris. Ib. Exstant igitur duo agmina rationis: unum, desumptum ex ipsa ultima et essentiali ratione naturae humanae; alterum ex eius essentiali, sed aliquo modo derivata et consequente, corporalitate et sensibilitate. Ut Thomas ait: quod vero con naturale est homini, ut per sensus cognitionem accipiat, et difficillimum est sensibilia transcendere. C.G.3,119. Restat alius adspectus sicuti est natura socialis et publica hominum. Consequenter sacrificium debet habere hunc triplicem adspectum: internum seu relate ad essentiam naturae humanae; externum seu totalen, i.e., relate ad eius naturalem corporalem, sensibilem et mundanam; et socialem, i.e., relate ad eius naturam communite

riam. Sed eo ipso clarum est quod radix sacrificii, eius anima est ille motus internus, qui correspondet ad radicalem relicationem et relationem hominis cum Deo; cuius signum, expressio et incorporatio est sacrificium externum, visibile et rituale. Et ita S. Augustinus expresse sustinet: *Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est... Illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii.* De Civ. Dei, l.X.

Homo habet essentiam quae tota a Deo provenit et ad Deum tendit. A Deo provenit in qt. totum suum esse ab Illo procedit etsi non necessario immediate: ideo ab Illo pendet et Illi submittitur; ad Deum tendit in qt. totum suum esse ad Deum ordinatur, etsi non necessario immediate ad solum Deum. Haec essentia humana cum sua duplice tendentia debet vivi et realisari ab homine modo proprie sua naturae, i.e., conscienter et libere, hoc est, personaliter. Ideo habet obligationem moralem dominum Dei recognoscendi et ad Deum tendendi. Sed haec obligatio moralis non est aliquid extrinsecum et superadditum naturae humanae; e contra non est nisi consequentia eius tendentiae ut ita dicam entitativae, eius exigentiae onticae respectu perfectionis. In hoc sensu problema morale et religiosum non est quaestio iuridica sed multo magis quaestio ontica. Et quia talis est essentia hominis ideo hoc appareat in conscientiam eius morali obligatio tendendi ad Deum, ideo appareat in statu eius psicologico inclinatio magis aut minus explicita et potens ad haec omnia vivenda et realisanda ut aliqua profundissima tendentia humana.

Haec omnia sunt naturalia, i.e., in ipsa natura radicata, quia non sunt nisi ipsa natura dynamice et ultime considerata. Sed haec omnia pariter non sunt nisi sacrificium internum. Sacrificium, enim, vi nominis significat aliquid sacrum facere, aliquid consecrare, sanctum facere. Sed aliquid est sacrum et sanctum, in qt. a Deo procedit et ad Deum tendit, in qt. cum Deo unitur. Homo iam aliquo modo sacrum factum est ex eo quod habeat essentiam a Deo provenientem et ad Deum tendentem; ista vero sacralitas perficitur ex eo quod conscienter et libere tq. a Deo proveniens recognoscatur grato animo, et ex eo quod ad Deum toto corde tendat. Ideo Augustinus dicit: *Verum sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate Domini inhaereamus Deo... Unde ipse homo Dei nomine consecratus et Deo votus, in qt. mundo moritur et Deo vivat, sacrificium est.* Ib. Et pariter S. Thomas quae ponit ratio sacrificii ex hoc quod agitur ut sancta societate Deo inhaereamus: sacrificium externum pro eo nihil aliud est quam significatio sacrificii interni, quo anima se ipsa offert Deo. 2,2,85,2.

Ideo quidam auctor modernus definit sacrificium tq. actum translationis creaturae ad Deum, motum ad sanctitatem. Finis est sanctitas, quae est ipse Deus, motus ex conditione non sancta aut non perfecte sancta hominis ad Deum nihil aliud est nisi sacrificium. In qt. talis motus est, debet dari amissio alicuius proprii et acquisitio alicuius novi; ex quo sequitur quod sacrificium debeat habere simul aliquid destructivum sed pariter non nisi sacrificium immutativum et perfectivum. In praesenti statu hominis, statu peccati necesse est ut peccatum dispareat ad hoc ut sanctitas ad nos accedat; sed quia in nobis multae adsunt tendentiae quae cum peccato de facto quasi identificantur, necesse est ut illis moriamur, et in hoc sensu ut aliquid nostri in destructionem mittamus. Ex hoc tamen non potest considerari quod talis destructione sit pars precipua nec essentialis sacrificii: nam imprimis hoc contingenter se habet ex eo quod de facto habeatur aliquid quod impediat praesentiam totalem Dei in anima, et hominis in Deo; et postea sacralitas non venit ex destructione peccati sed ex assimilatione Dei. Immolatio per occisionem in sacrificio externo significat destructionem illius quod in nobis est peccati, tq. conditio necessaria, in eo qui peccatum habet ad hoc ut ad Deum accedat.

Haec est anima sacrificii. Sed sicut anima non dicitur homo etsi sit pars capitalis hominis, etiam illud sacrificium internum non potest vocari simpliciter verum et perfectum sacrificium. De facto S. Thomas agit de sacrificio inter actus externos religionis. Precise ex eo quod



S. J.

sacrificimu dicat relationem ad totalitatem hominis necesse est etiam quod aliquo modo in corpore incarnetur, et exterius significetur. Cum homo sit tam essentialiter sensibilis, impossibilis est ut perfecte agat sine adiutorio sensibilitatis. Attamen non est confundendum hic adspectus sensibilis et externus cum adspectu publico et sociali, qui proprie ad societatem ut talem pertinet, et non ad individuum.

Claram est quod illa tendentia hominis ad Deum multis signis manifestari possit; et ideo qq. proprie non nisi unum sacrificium internum datum, etsi ditissimum in suis adspectibus, plura tamen dantur sacrificia externa, quibus concrete exprimuntur illos multiplices adspectus. Evidens tamen est, quod illa signa externa, illa sacrificia externa processisse ab illo motu interno in quo sacrificium internum consistit; et quod illa signa, utpote talia, omnem vim habent illius quod significant; denique quod illa signa nunquam adaequabunt totam rem significatam. Sed etiam evidens est quod facile est sustantivare signa ita ut iam ponantur sine relatione ad animam internam, ex qua accipiunt totum valorem, sed eo ipso cessant esse sacrificia et convertuntur in ritus mortuos, magicos vel sociales et traditionales. Non sunt iam actus religiosi, et ideo homines religiosi, v.c. prophetae in A.T., clamabunt contra illa sacrificia quae non solum non significant verum spiritum religiosum sed illum impedit. Ita offerebatur holocaustum ad significandum specialiter reverentiam maiestatis divinae et amorem bonitatis eius; pariter sacrificium pro peccatis, vel sacrificium hostiae pacifica por gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium.

Ex istis factis externis et ex illa natura interna sacrificii possimus concludere veram et perfectam essentiam sacrificii.<sup>(1)</sup> Sacrificium est donatio sensibilis, significativa donationis inferioris ex institutione divina vel humana, in qua homo in signum suae traditionis ad Deum, renuit aliquid bonum ut illud offerat domino supremo ad hoc ultimatim ut fiat unionem religiosam perfectam inter hominem et Deum.

Ideo sacrificium est pariter signum sensibile et rem significatam, ita ut uno ex istis elementis deficiente, sacrificium deficit. Praeterea in signo externo necesse est ut appareat aliquid, quod significet talis actionem posse tribui soli Deo:nam, sicuti sacrificium internum tt. habet sensum respectu Dei, ita eius signum tale debet esse ut soli Deo tribuitur. Per se nulla signa habent tales characteres, ideo ex institutione divina vel humana delimitari debent qualia signa reserventur soli Deo in concreto. Minoris momenti est distinctio inter oblationem et sacrificium, utpote aliquid quod refertur ad signum externum sacrificii et non ad rem significatam. Pro S. Thoma omne sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium. **Sacrificia proprie dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit... Oblatio autem directe dicitur cum Deo aliquid offeratur, etiamsi nihil circa ipsum fiat... Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur.** 2,2,85.3,ad3. Alii ponunt ut discrimen non illud **quod aliquid fiat circa res Deo oblatas**, sed quod oblatio forma fiat quae ex institutione divina vel humana reservetur soli Deo. Ita per oblationem sacrificiale aliquid tollitur ab usu profano et transmittitur ad usum Dei, ad hoc ut exprimatur donum religiosum sui ipsius ad Deum. Tam terminologia latina quam graeca et hebraica quando refertur ad sacrificium in generis usurpat verba: offerre, profero, hiq̄erib, qorban, quae per se non significant nisi ponere aliquid coram Deo, nempe hostiam. Requiritur tamen quod aliquid externum fiat circa talem hostiam ad hoc ut pateat quod hostia ex hominis dominio dimittitur; ad hoc videtur sufficere quod talis oblatio aliquo modo sensibiliter fiat, ita ut per se non semper exigatur nec destructio nec immutatio, qq. verum est quod signum magis adaequatum talis dedicationis soli Deo in immutatione sive destructiva sive non inventatur.

**(1) Sacrificium est conversio totius hominis ad Deum ut illo inhucemus quod ex sua totalitate et radicalitate exigit ut aliquo modo sensibiliter exprimitur.**

## DE REDEMPTIONE:

Anteq. essentiam et notionem theologicam sacrificii aggrediamur, ne-  
cessere est praemittere veram notionem redemptionis. Si redemptio in sua  
profundiore essentia attingitur, potest considerari tq. finis totalis  
sacrificii in genere, et in concreto sacrificii crucis. Ita si redemptio  
est finis sacrificii crucis, valorem istius non intelligemus, nisi adim-  
bretur imprimis notio redemptionis.

Oeconomia salutis, i.e. redditionis hominis ad Deum propter novam praes-  
sentiam Dei in homine est in sua realisatione concreta oeconomia redem-  
ptionis. Finis huius redemptionis est Christus totalis, hoc est, unitas  
omnium hominum in Christo cum Deo. Redemptio est proinde realis recapitu-  
latio omnis creaturae et creationis in Christo, tq. capite. In Eo denuo  
accipimus, quod in Adamo perdidimus. Mundus est unus, et oeconomia salu-  
tis est etiam una: unitas hominum in Adamo est typus unitatis hominum in  
Christo. Ideo necessaria est organica unio ~~xxv~~ Christi cum humanitate in  
Adamo lapsa, sicuti necessaria est perfecta restauratio ~~xxv~~ omnium quae  
in Adamo et in eius peccato perdita erant. Redemptio non intelligitur ut  
extrinseca satisfactio, sed in sensu multo magis ontologico, tq. descen-  
sus Verbi Dei in mundum atque elevatio et acceptatio humanitatis. Incar-  
natio Verbi sicuti mystica unitas humanitatis cum Christo est liberum  
consilium Dei; sed exinanitatio Christi in eius concreta realisatione in  
oboedientia usque ad mortem crucis est necessaria, supposito peccato hu-  
manitatis in Adamo. In exinanitione et oboedientia solvuntur vincula,  
quae humanitatem ligabant ex superbicie et in oboedientiae protoparentum.  
Quia corporalis mortalitas signum est superbicie et in oboedientiae hominis  
contra Deum, et peccatum exercet suum dominium in morte corporis, ideo  
mors debet per oboedientiam dissolvi et in ipso corpore negata. Ideo de-  
bebat Christus descendere in carnem mortalem ut vinceret mortem per sa-  
crificium crucis ex superabundantia suae vitae. Denuo non agitur de sa-  
tisfactione iuridica, de actibus meritoriorum, sed de intrinseca salute hu-  
manitatis lapsae, in qua sanantur radices peccati; de aliqua sanatione  
ut ita dicamus metaphysica et non mere ethica, quia potius attenditur ad  
adspicuum totalem cosmicum redemptionis, ad participationem vitae divi-  
nae, magis quam ad remissionem et satisfactionem culpae. Redemptio unius-  
cuiusque hominis verificatur per incorporationem in Christo ut crucifixo.  
Ontica incorporatio et ontica unio Dei cum homine in Christo, et non so-  
lum unitas moralis in conformitate voluntatum; ontica unitas in omnibus  
stratis tamen esse hominis, in ontica communione gratiae per pneumaticam  
unitatem in Christo, qui etiam habet efficaciam etiam in corporeitate,  
quae etiam habebit propriam transfigurationem. Ita mors Christi in cruce  
est momentum essentialie historiae salutis in concreta situatione hominis  
lapsi, punctum maximum manifestationis et realisationis divini designii  
circa redemtionem et novam creationem hominis. Si Incarnatio est ini-  
tium huius rei, consummatio est in cruce. Quod post illam manet, resur-  
rectio, glorificatio non est iam via sed terminus.

Redemptio igitur in concreto identificatur cum tota oeconomia salutis  
Dei in Christo et ideo est re et conceptu aliquid simile sacrificio, si  
hoc etiam in ordine concreto huius vitae cum peccato et cum vocatione  
ad gratiam intelligimus. Hoc restat videndum.

## DE SACRIFICIO IN SENSU THEOLOGICO: DE MYSTERIO CRUCIS

Sacrificium prout potest cognosci ex studio naturae lumine rationis  
erat transitus personalis et vitalis ad Deum. Cum homo propter peccatum  
aliquid habet quod positive impedit ~~hunc~~ transitum, necesse est ut ali-  
quo modo moriatur, ut aliquo modo redimatur, i.e., ut reddat ad redditum  
ordinem amissum. Sed ex fide cognoscimus quod non versamur in ordine  
purae naturae, sed in ordine gratiae. Ideo status amissus in peccato non  
potest denuo acquiri sacrificio pure humano, redemptione pure humana. I-  
ta ut realitas veri et actualis sacrificii recte intelligatur necesse  
est consideratio theologica sacrificii; et quia unus est sacrificium  
quod revera potest denuo dare quod prius oblatum et amissum erat, nempe



S. J.

sacrificum crucis, ideo consideratio theologica sacrificii et consideratio mysterii Christi in suo opere redemptivo idem evadunt in concreto. Ideo si aliquomodo intelligimus mysterium crucis intelligemus etiam sacrificium theologice consideratum, et viceversa intelligentia sacrificii theologici nos iuvabit ad intelligentiam mysterii crucis.

Passio et mors Christi est suprema expressio sensibilis in carne passibili sui sacrificii interni, i. e., caritatis, qua ille inhaerebat Patri, et voluntatis qua nos sanctificat et dicit ~~xxx~~ secum ad Patrem. Si cetera sacrificia hoc etiam intendebant nempe afferre hominem Deo, clare intelligitur quomodo erant figurae huius unici sacrificii, quod solum faciet in statu praesenti transitum et unio, quas Deus vult. In hoc sensu probat S. Thomas quod passio et mors Christi sint verum sacrificium utendo tq. medio probationis definitione Augustini: **verum sacrificium est omnia opus quod agitur ut sancta societate Deo inhaereamus.** Christus autem voluntarie subdit se passioni, motus caritate ad hoc ut homines hanc sanctam societatem consequantur.

Sed hoc sacrificium potest vere vocari sacrificium? Revera in cruce apparent signa sacrificii interni, in qt. realisatur sacrificium externum, quia adsunt omnia signa externa sacrificii. Sed quaestio statim surgit quo modo possibile erit sacrificium internum, sine quo non datur verum sacrificium precise in Xto., qui iam ex Incarnatione perfectissime inhaerebat Deo. Difficultas est realis et ideo concedendum est quod, sicut redemptio incipit in ipsa Incarnatione, ita etiam sacrificium redemptivum, sacrificium Xti. initium sumit in ipsa Incarnatione, cum eius humanitas perfectissime se tradit Verbo, et per Verbum ad Patrem. Sed in Incarnatione nec in tota vita Christi ~~xxx~~ consummatur sacrificium: primum ex eo quod Christus assumpsit carnem passibilem et statum humanum in quibus adhuc erat possibilis transitus ex hoc mundo ad Patrem; secundo ex eo quod non nisi in morte recapitulatur tota vita et ideo non nisi in morte poterat tota vita humana Christi Deo inhaerere; tertio ex eo quod Christus assumpsit nostram carnem et in illa nostram naturam, quae siquidem radicaliter erat caro peccati et in se radices peccati et mortis habebat, necesse erat quod Christus, tq. caput totius humanitatis novae per~~x~~ oboedientiam et exinanitionem mortem asumpserit ut nos ad novam vitam accedamus, per novam creationem cuius gressus sacrificiales sunt incarnatione, vita passibilis, passio et mors, et cuius gressus, ut ita dicam, terminales sunt resurrectio et missio Spiritus Sancti. Caro Christi, utpote caro nostra, erat aliquomodo obstaculum ad perfectam unionem suae natura completae humanae cum divinitate, quod ex eo patet, quod in hac vita non erat adhuc transfigurata et glorificata sed passibilis; et praeterea modo mysterioso sed reali in se afferbat nostram carnem peccati, sicut Adamus modo etiam reali sed mysterioso nostram carnem in suo peccato damnavit. **Peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum.** Petrus, I, 2, 4. **Factus est pro nobis maledictus... maledic-tus qui perpendit in ligno.** Gal., 3, 13.

Si sacrificium theologicum consideramus in ipsa linea ac sacrificium philosophice consideratum, possumus ipsa sustinere quae de illo diximus sed in novo plano. Ideo terminus a quo non est pure natura humana etiam cum peccato, sed natura quae in ordine concreto non potest realisari nisi in gratia. Peccatum fuit contra istam gratiam, et ideo iam non est possibile homini redditus ad statum primum. Sacrificium Christi facit quod denuo acquiramus illud quod amissimus, et ita definitive acquiramus nostram plenam sacralitatem, nostram plenam sanctificationem. Haec sanctificatio non est quaecumque unio cum Deo, talis ut in consideratione philosophica sacrificii vidimus, sed unionem cum Deo trino, per Christum ad Patrem in Spiritu Sancto, in participatione omnino intrinseca vitae divinae. Ita ad Patrem rediit quod ex Patre exivit, quia etsi principium immediatum sacrificii Xti. est charitas et voluntas animae Xti., principium primum huius sacrificii est voluntas seu amor divinus, Adhaesio ~~xxx~~ voluntatis Xti. ad sacrificium non est nisi consequentia adhaesionei eius voluntatis ad voluntatem Patris. Et ita S. Thomas dicit quod Deus tradidit Christum passioni, quia et preordinavit passionem Xti. ad humani generis salutem, et inspiravit Xto. voluntatem patiendi pro nobis infundendo ei caritatem. **Qui etiam proprio Filio su- non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.** Rom., 8, 32.

Ita bene intelligitur cur Paulus tot tantasque partes tribuat oboe-dientia in sacrificio crucis. Nempe quia peccatum Adami ex voluntate contra Deum processit, i.e., ex negatione sacrificii, i.e., ex negatione sumissionis et procedentiae a Deo et ex negatione destinationis ad Deum. E contra Christus per suam oboedientiam sacrificium perfectum fecit quia plene Deum recognoscit ut supremum dominum et patrem, et plene in eum tendit. Et hoc tq. caput totius humanitatis, in quo omnes sumus.

Per sacrificium Xti., quod in cruce consummatur, qui ex Patre veniebet ad Patrem rediit, sed non rediit solus sed cum tota humanitate, cuius est caput, cum toto suo corpore. Per incarnationem communicatur naturae creatae impulsum aeternum Filii ad Patrem in Spiritu amoris: humanitas Christi constituitur in suo esse tq. oblatio spiritualis ad Patrem et tq. receptaculum omnis sanctitatis; Christus ita sanctus est, ut sit pro nobis omnis fons gratiae. Passio, mysterium crucis, est consummatio huius motus, ubi Christus transit ex hoc mundo ad Patrem, ubi cum sua morte moritur nostra caro peccati, ita ut vita et accessus ad Patrem definitivæ nobis donetur. Et ita unum tantum est verum sacrificium, sacrificium crucis, quia solum in ipso et per ipsum est possibile transitus ad Sanctitatem, ad Deum Patrem in Spiritu amoris. Ceteræ sacrificia in tantum sunt vera sacrificia, in qt. participant sacrificium crucis et ex totali sacrificio Christi accipiunt potestatem Deum inveniendi et amplectandi. Nostrum est adimplere in nobis quod restat ad Passioni Christi; nostrum est in nobis libere realisare, verum et nostrum facere, quod Christus nobis dedit ut faciamus, i.e., per sacrificium crucis realisare in nobis sacrificium Christi. Sacrificium non est iam quicunque transitus ad Deum sed transitus ad quem vocati sumus, transitus ad vitam divinam trinitariam, per unicam viam, quae Christus est. Et est unica veritas sacrificii. Et hoc est unicum verum et vivum sacrificium.

#### STATUS QUAESTIONIS:

Ex his dictis, patet in quo sensu sacrificium Christi est verum et proprium sacrificium. Adimplet enim perfectissime omnia elementa sacrificii tum interni tum externi.

Quod sit perfectum et consummatum, intelligendum est in ratione sacrificii et non in ratione termini ad quem sacrificium tendit. Quia in aliquo sensu resurrectio et ingressus in caelum pro humanitate Christi, emissio Spiritus Sancti pro membris sui corporis possunt considerari tq. termini Christi sacrificii, et ita aliquomodo intelligi tq. pars sui sacrificii. Immo vero potest considerari quod sacrificium Christi non consummabitur usque omnia transeant per Christum ad Deum.

#### SENTENTIAE:

Indolem sacrificalem negant ut evangelicam Modernistæ.

Sociniani putant quod pars essentialis et praecipua sacrificii tt. inveniri in oblatione, qua Christus se Patri in caelo praesentavit et obtulit, ita ut sacrificium crucis non esset nisi conditio seu inchoatio veri sacrificii. Haec mors habet pro nobis valorem exemplarem sed non onticum.

#### QUALIFICATIO:

Quod sit verum sacrificium est de fide definita. D.938

Quod sit cruentum, perfectum et consummatum (saltem in sensu negato a socinianis) est de fide saltem implicite definita.

Quod sit redemptivus: quaestio facti, de fide catholica; quaestio de modi: quomodo verificetur redemptio si ad modum prout explicatur a latinis vel a graecis...est disputabilis.

#### PROBATIO:

**MAGISTERIUM:** 1) Anathematismus 10 Cirili Alexandriae: Christum et pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis. Istud canon ~~xxxxxxxxxxxxxx~~ ex Concilio Alexandriae, Constantinopolitanum retulit et lavdavit.

2) Tridentinum: Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblatrus erat, ut aeternam illis redemptionem operaretur...Quo cruentum illud

117

semel in cruce peragendum... Per sui sanguinis effusionem nos redemit. Sacrificum Missae tale esse declarat ex eius relatione cum sacrificio crucis. Apud canones respectivos hoc evidentissime apparet. D.950-51.

3) Pius XI, Quas primas.

4) Tota liturgia paschalalis. Sufficiat textus in praefatione Christi regis: ut seipsum in ara crucis hostiam immaculatam et pacificam offerens, redemptionis humanae sacramenta perageret.

SCRIPTURAM: 1) In V.T. cum loquitur de servo Iahwe sufficienter apparet sacrificium cruentum Messiae ad redemptionem gentium.

2) In novo Testamento cum loquitur de agno paschali et eius sacrificium. Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. J.1,29,36; ut agnus immaculatus, cuius sanguine redempti sumus (1Pe.1,18s.) ut agnus occissus in Ap.,5,6-12; ut pascha nostrum.(1Cor.5,7).

3) Ad sacrificium foederis: sanguis meus novi testamenti. Mt.26,28.

4) In epistola ad Haebreos affirmatur explicite quod tum sacrificia V.T. tum sacrificium N.T. esse verum sacrificium, qq. omnino perfectius consideratum novum quam antiqua sacrificia.

5) Paulus saepe de sacrificio Xti. ut redemptivo loquitur: Tradidi enim vobis imprimis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris. 1,Cor.15,3. Iustificati in sanguine ipsius. ~~Hebr.13,12~~. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum. Hebr.,13,12. Et de vero sacrificio: Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Dei in odore suavitatis. Eph.5,2. Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedante in redemptorem earum prevaricationum, quae erant sub priori testamento..Hebr.9,15-20.

FATRES: Patres sunt omnino concordes in aestimanda morte Christi ut vero sacrificio, per quod redempti sumus. Immo magis, Augustinus illud vocat unum verissimum sacrificium...cuius erant umbrae omnia sacrificia legis et prophetarum. De Trin.,4,13. Sed secundum Patres Christus se in cruce obtulit non ut homo singularis, sed ut novus Adam, Caput generis humani reparandi. Inter quos eminent Ireneus et Cirilus. Crucifixi itaque cum eo fuimus, quo tempore caro eius crucifixa fuit, quae universam quodammodo in se naturam continebat. R.2123

RATIO THEOLOGICA: In sacrificio crucis inveniuntur omnia elementa essentialia tum sacrificii interni tum sacrificii externi, quod fusius antea exposuimus. Ibi consummatur sacrificium quod in incarnatione initium sumpsit, per oblationem victimae in qua omnis humanitas continebatur. Illud sacrificium offert Christus secundum naturam humanam et Caput generis humani reparandi; sacrificium offertur Deo trino. Victima est ipse Christus in quantum ad suam carnem passibilem et mortalem, in qua ut Cirilus ait, quodammodo universam naturam in se continebat. Datur praetera immolatio non ex parte occidentium, sed ex parte Christi qui passionem voluntarie sustinuit.